



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1678**

Epistola Stephani Episcopi Tornacensis ad VVilhelmum Archiepiscopum  
Remensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14688**

*Epistola Stephani Episcopi Tornacensis ad  
VVilhelmum Archiepiscopum Remensem.*

Anno 1193.  
*Vide Rigor-  
dum in vi a  
Philippi Au-  
gusti.*

*Vide Innoc. 3.  
lib. 1. epist. 4.*

**R**EVERENDO Patri & Domino VVilhelmo Dei gratia Remensi Archiepiscopo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tituli sanctæ Sabinæ Cardinali, apostolicæ sedis Legato, Stephanus Dei permissione Tornacensis Ecclesiæ humilis minister salutem & cum omni subjectione perfectam & promptam obedientiam. Assumpta paulisper audacia loquor ad Dominum meum, nec temeritate præsumens, nec pusillanimitate dissidens aut diffidens. Non abiciet me plastes lutum suum, vasculum suum figulus, artifex opus manuum suarum. Non abiciet inquam vel à queror querentem vel à mæreo mærentem, quem extulit & prætulit, nec à quæro quærentem nec à mereor merentem. Ormesta est non parabola quam propono, cui & compassionem debeat benevolus animus, & consolationem benefica manus. Est apud nos pretiosa margarita, quæ conculcatur ab hominibus, honoratur ab angelis, digna thesauro regio, digna palatio, digna cælo. Reginam dico, quæ apud Cisonium quasi ergastulo clauditur, paupertate premitur, exilio relegatur. Plangimus fortunam personæ, Deo relinquimus causam fortunæ & exitum causæ. Quis enim sit tam ferrei cordis, lapidei pectoris, jecoris adamantini, quem non moveat in tanta adversitate puella illustris Regum natalibus, insignis moribus, sermonibus verecunda, operibus verè munda? cum Ambrosiana virgine pulcra facie, sed pulcrior fide, annis juvencula, sed animo cana, penè dixerim Sarra maturior, Rebecca sapientior, Rachele gratior, Anna devotior, Susanna castior. Ab his qui de formis mu-

lierum disputare solent nec deformior Helenâ nec  
 abjectior Polyxenâ judicatur. Quotidianum studium  
 ejus orare, aut legere, aut operi manuum operam  
 dare. Aleam nescit, tesserâs ignorat. Ipsas oratio-  
 nes à mane usque ad sextam protensas cum lacry-  
 mis & gemitibus effundit non tam pro se quàm pro  
 Domino Rege. In oratorio nunquam sedet, aut  
 corpore semper erecta, aut genibus acclinis & pro-  
 na. Credimus quia si talem cognosceret Assuerus  
 noster, gratam haberet ut Esther suam, & extensa  
 virga benevolentiae suae, virga dilectionis, virga reg-  
 ni sui, revocaret eam in amplexus regios, commu-  
 tans divortium consortio, rancorem mansuetudine  
 mitigans, exterminans odium caritate. Credimus  
 quia aut verbo aut voluntate diceret ei: *Specie tua* Psal. 44.  
*& pulcritudine tua intende prosperè, procede, & reg-*  
*na.* & illud amatorium Salomonis: *Revertere, re-* Cant. 6.  
*vertere, ut intueamur te.* Revertere propter nobili-  
 tatem tuam, revertere propter pulcritudinem tuam,  
 revertere propter pudicitiam tuam. Revertere ut  
 intueamur te propter honestam morum elegantiam.  
 Talis ac tanta Regum martyrùmque beata proge-  
 nies, germen nobile, semen sanctum reculas suas,  
 vestes scilicet modicas & vasa paucula, compellitur  
 prae inopiâ victus exponere, distrahere, subhastare.  
 Alimoniam petit, eleemosynam postulat, manum  
 porrigit ut accipiat, & supplicat porrigenti. Flentem  
 saepe vidi & ego flens cum ipsa, & pro ipsa con-  
 tremuit cor meum & expavit. Commonui quantum  
 potui ut jactaret cogitatum suum in Domino. Quod  
 & ipsa facere nec desistit nec desistit. Respõdebat per  
 singula: *Amici mei & proximi mei, quasi alieni recess-* Psal. 37. &  
*serunt à me.* Vnicum refugium meum Dominus meus 107.  
 Remensis Archiepiscopus, qui me ab initio adversi-  
 tatis meae liberaliter fovit, aluit, & nutrit. Moveant  
 vos, Pater, tam nobilis & praecipuae puellae avis &

atavis Regibus editæ lacrymosa suspiria, flebiles gemitus. Et qui tot & tantis pauperibus erogatis elemosynam, mendicanti post tantam gloriam Reginae pietatis vestrae viscera non claudatis. Excessit epistola modum. Sed increpabat brevitatem materia, & pietas accendebat stylum.

*Ingeburgis Reginae Francorum epistola ad  
Celestinum III. Papam.*

Ann. 1196.  
Vide Rigord.  
ad ann. 1193,  
& 1196.

**I**NOPINATI doloris anxietas me compellit exordium vobis proponere dolorosum, in gemitu cordis vestro apostolatus mei gravamina flebiliter enarrare. Iam enim triennium est elapsum quod Rex Franciæ me in ætate nubili desponsavit & mihi, prout naturalis ordo requirit, debitum reddidit maritale. Postmodum verò instigatione diabolica & quorundam malitiosorum Principum persuasione seductus filiam Ducis S. superinduxit & retinet pro uxore; me verò in quodam castello incarcerari præcepit, ubi sic proscripta dego quod ad cælum levare oculos non audeo neque possum. Nullam allegat præterea parentelam nullamve causam alicujus excessus pro quo ab illo debeam separari; sed facit de voluntate decretum, de pertinacia legem, & de voluptate furorem. Deleo quidem, & non tristari non possum, qui panem comedo cum dolore & potum cum lacrymis assiduè permiscere compellor, & non pro me tantum, sed etiam pro Rege, qui ..... orthodoxæ fidei, Christianis & universis de regno suo exemplum tribuit malignandi. Proh dolor! spernere vestrae sanctitatis litteras non formidat, audire Cardinalium jussa recusat, Archiepiscoporum & Præfulum dicta contemnit, & admonitiones religiosorum quorumlibet aspernatur. Ego